

gratia. Quid iuravit? Si introiero in tabernaculum domus meae: hoc est, Non introibo domum meam, non quiescam in strato lecti mei. Si dederò somnum oculis meis, &c. id est, Non dormiam. Rem eandem bis dicit. Forinam iuramenti habent ista: Si introiero, si ascendero, si dederò. Et subauditur aliquid mali, cui se deuouerit, si votum hoc infregerit. Donec inuenerò locum Domino, tabernacula forti Jacob. Hoc erat Dauidis propositum, de quo duobus locis S. Scriptura mentionem facit: videlicet 2. Samuel 7. & 1. Paralip. 21. Constituebat Domino parare domum, in qua non vt antea sub pellibus, & alijs atque alijs locis, sed certà, stabili & condigna mansione in medio populi sui habitaret. Verùm id illi non est permissum à Deo, sed Salomoni filio eius destinatum. Non meminit autem sacra historia iuramenti alicuius, quo se Dauid obligauerit ad ædificandum Domino domum. Verùm quoniam id hoc loco disertè exprimitur, credendum est, propositum illius non fuisse nudis cogitationibus præsumptum, sed & iureiurando confirmatum.

Vers. 6.

*Ecce audiuiimus ea in Ephratha.* Variè exponitur hic versus. Lyranus sic: *Ecce audiuiimus eam in Ephratha*: id est, in Silo, quæ est in sorte Ephraim. vt *Ephratha* ponatur hîc nō pro *Bethlehem*, sed p̄ *Ephraim*. *Inuenimus eam in campis syluæ*: id est, in Gabaa quæ est in territorio Cariathiarim, quæ ciuitas syluarū appellatur. vide 1. Samuel. 6. & 7. Cogitant quidam de domo Helcanæ Ephratæ, cuius 1. Samuelis 1. fit mentio. Verùm non video, vnde moueantur. Kimhi Ebræus post aliquot Rabinorum expositiones suam ponit ad hunc modum: Dixit Dauid, locum istum ignorauimus ad hunc vsque diem. Tantum audiuiimus de eo in Ephratha ciuitate nostra, futuram esse, vt locus aliquis domui sanctuarij ad habitandum eligatur. Neque enim vel Silo, vel Nobe, vel Gabaa fuit ad habitandum. Tantum audiebamus ex ore senum in ciuitate nostra, reuelandum adhuc esse locum, qui sit eligendus. Et ecce iam inuenimus eum in campis syluæ in area Hornah Iebusei. Et vocatur sylua, eò quòd essent illic ligna syluæ. Quòd autem illic eum locum inuentum esse dicit, de eo dicitur, quòd igne de cælo responsum illic est Dauidi. Vide 1. Paralipom. 21. Ergo secundum hanc expositionem, dicta sunt hæc verba: *Ecce audiuiimus ea*, &c. à Dauid. Alij exponunt sic, vt sint verba Salomonis, referentis quid à patre, cum adhuc in Bethlehem essent, vna cum alijs de futuro tabernaculi loco audierint, & vbi illum inuenerint. Quamuis parùm referat, vtram sententiam accipiamus: mihi tamen posterior videtur esse simplicior, maximè propter sequentia, quæ omnino Salomonis sunt.

Vers. 7.

*Eamus ad tabernacula eius, adoremus.* Hisce verbis exprimitur translatio arcæ Domini, qua illam Salomon è ciuitate David patris sui, Zion videlicet, ad templum à se ædificatum transtulit. *Eamus*, inquit, *ad tabernacula eius*: intellige, ad transferendum inde arcam Dei. Sic exprimitur id quod 2. Paralip. 5. legitur ad hunc modum: Postea congregauit maiores natu Israël, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filijs Israël in Hierusalem, vt adducerent arcam fœderis Domini de ciuitate David quæ est Zion. *Hæc ibi*. Quòd autem addit: *Adoremus scabellum pedum eius*: de eo dictum est, quòd arcam cum debita adorationis veneratione, non temerè, vt antea factum fuerat aliquoties, transferre statuerit.

Vers. 8. &amp; 9.

*Surge Domine ad requiem tuam.* Sic loquutus est Sa'omon, cum arcam fœderis transferret. id quod 2. Paral. 6. in calce capitis videre licet, vbi ferè eadem leguntur ad hunc modum: Nunc igitur surge Domine Deus, in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ. Sacerdotes tui Domine Deus, induantur salute, & sancti tui lætentur in bonis. Domine Deus meus, ne auertas faciem Christi tui, mento misericordiarum David serui tui. *Hæc ibi*. Vnde puto manifestum esse, pertinere hunc Psalmum ad Salomonem: & compositum esse ad hoc, vt petitionè, qua in translatione arcæ vsus est ad Dominum, exprimeret. Dixit itaque Salomon: Surge Domine ad requiem tuam. Erat id moris etiam Mosi, vt cum arca leuaretur, diceret: Surge Domine, id quod videre est Num. 10. & addit: *Ad requiem tuam*. Qd. Non ad migrandum alio atq; aliò, sed ad stabilem sedem, quam tu tibi ipse elegisti, vt in illa habites. Hactenus sub pellibus & mansione instabili egisti in populo tuo, nunc tandem surge in requiem tuam, nomini & arcæ tuæ paratam. Sic addit: *Tu & arca roboris tui*. Vocat eam *arcam roboris*, propter potentiam quam aduersum hostes tam Cenaneos, quam Philistæos, velut ex arca illa sedis ac præsentia suæ symbolo exercuerat.

2. Sam. 6.

*Sacerdotes tui induantur iustitiam.* 2. Paralip. 6. ista sic leguntur: Sacerdotes tui induantur salute. Et est sensus: Oro Domine, ne incommodes quicquam sacerdotibus, qui tibi sunt & nunc, & in posterum ministraturi, sed indue eos salute: hoc est, serua eos salute tua, gratia & ope tua, ne quod Ozæ filio Aminadab accidit, & illis contingat. Quòd igitur hîc dicit: *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, cum sit idem quod illic scribitur, non debet aliter intelligi, quàm ad hunc modum: *Sacerdotes tui induantur iustitiam*: id est, circumdentur quasi veste quadam, & conseruentur iustitia, bonitate videlicet ac benignitate tua, qua salui permaneant & illæsi. Non loquitur hîc de iustitia iudiciaria, sed saluatrice Dei iustitia, bonitate ac benignitate: id quod abundè liquet ex collatione eorum, quæ 2. Paralip. 6. de hac ipsa Salomonis oratione leguntur. vbi quod hîc est: *Induantur iustitiam*: habetur, *Induantur salutem*.

*Et qui benignitatis tuæ participes sunt, exultent.* In Ebr. est *וְיִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל* id est, vt sic dicā, *Beneficiati tui*. Sensus est: Et nobis quoque reliquis, quos multis beneficijs cumulas, qui hîc coram te ex omni populo tuo comparemus, clementer parce: ne quod accidit Bethsamitis, contingat & nobis. Da potius, vt arcam tuam cum gaudio & exultatione ad requiem illi destinatam transferamus. De Bethsamitarum plaga lege 1. Sam. 6. vbi è populo septuaginta viri, & è plebe promiscua quinquaginta millia hominum interierunt, eò quòd arcam à Philistæis relatum temerè inspexissent. Scio, quomodo ista à nostris exponantur. Verùm, meo iudicio, pij hominis est, quoad eius fieri potest, eam expositionem,

potem, quæ sacra S  
 spualibus.  
 Ammo Domine Dau  
 tem habere dicit  
 bene facere illor  
 re ben tu, David d  
 iporum post  
 esse culpabile, si  
 bonitas diuinæ  
 agunt, sed & po  
 Abrahæ, I  
 Nem  
 Omni afflictionis ei  
 tribulatio  
 acceptissimos,  
 semini illorum  
 afflictonu  
 Quamuis Domine,  
 zelus Dei i  
 velle vide mus.  
 esse cepit,  
 tabernaculum à se  
 illius m  
 ad Deum facto  
 strati  
 habitatur  
 sicut etiam  
 in medio p  
 stabilem qui  
 qualis Saul  
 vident  
 Christiani reges ac p  
 Deinde obseruan  
 factur  
 vniuersis  
 or. Ergo  
 nata e  
 sancti  
 impediuntur:  
 Tertio considerat  
 quare il  
 ad Salom  
 Fili mi, voluntar  
 ad me, dicens: N  
 nomini meo, ta  
 sanguinis effusi, n  
 non placeat D  
 viri sangu  
 entes. Etenim si Da  
 adiutus gesi  
 ad edificandur  
 Ecce audiuiimus ea in  
 pertinebant.  
 pectus: ideo qu  
 ne notandum est  
 mente retinen  
 Ecce inuenimus ea in  
 inferior, quàm  
 Deus humilibus  
 parum delectatu  
 Eamus ad tabernacu  
 hanc Dei, & ad  
 mores illius ad id in  
 reges ac principes, c  
 pertinet. Nec